





55.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO-MEDICA  
DE  
**POTENTIA VENTO-**  
**RUM IN CORPUS HUMANUM**

ubi simul agitur  
de ascensu & descensu argenti vivi in barometro,

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DN.

**FRIDERICO WILHELMO,**

MARCHIONE BRANDENBURGICO ET ELECTORATUS  
HEREDE, AC RELIQA,

IN ILLUSTRI FRIDERICIANA  
*Gratioso Facultatis Medicæ consensu,*

PRÆSIDE  
**Dn. FRIDERICO HOFFMANNO,**

Medicinæ Doct. ejusdemq; ac Philosoph. Natur.

Prof. Publ. Medico Electorali Aulico,  
PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO ÆTATEM COLENDO,  
PRO DOCTORIS GRADU

Summisque in Medicina Honoribus ac Privile-  
giis ritè impetrandis,

d. 15. Febr. An. MDCC. horis ante & pomeridianis  
publicæ Eruditorum disquisitioni exponit

**CHRISTIAN OCKEL,** Hallens. Saxo.

*Hale, typis Christophori Andreae Zeitleri, Acad. Typogr.*







53.

## P RÆFAMEN.

**V**entorum cognitionem medico summe necessariam ac utilem esse, sapiensissimus medicinae parens Hippocrates jam dudum prodidit, dum lib. de Aere, aquis & locis asserit: Quicunq; artem medicam recte assequi vult, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quolibet eorum valeat, dein de ventorum calidorum & frigidorum, maxime qui ex his omnibus hominibus communes, & mox qui in unaquaque regione sunt indigenæ & proprii. Eandem sententiam passim quoque tuetur & confirmat gravissimus author Galenus, qui svadet medico, ut ventorum & anni temporum indolem constitutionem ac differentias & exinde resultantes plurimas in aere mutationes, atque varias in corporibus alterationes probe pernoscat ac perspiciat, quo exinde morborum præsertiū popularium naturam, certorum tractuum ac regionum salubritatem, ad morbos dispositionem, variaque corpori commoda ac incommoda magna sui gloria prænunciare posuit. Impense jam esset optandum, ut sapientissima hæc priscorum monita subsecuta ætas atque posteritas rectius observasset, atque attenta per multa secula experientia majorem lucem huic nobilissimæ do-

A 2

ctrinæ

etrinæ accendisset, sicque incrementa ampliora saluberrima  
 arti nostræ addidisset, quod tamen minime factum con-  
 spicimus. Res per se est certissima, & firmo rationum ro-  
 bore nittitur. Quodsi enim aer vitæ nostræ fons, spirituum  
 pabulum, & catholicum animantium movens est, & juxta  
*Hippocratem libro de statibus §. IV. maximus in omnibus que*  
*corpori accidentunt auctor & dominus, quiq[ue] sensum ac motum nec*  
*non robur partibus praestat, extra dubium est, ut medicus a-*  
*eris indolem atq[ue] naturam exacte perspicere debeat. Quid*  
*vero magis nos deducit ad aeris cognitionem, quam ven-*  
*torum natura? horum enim maxima vis est in mutandis*  
*quotidianis tempestatisbus. Ita Argolus libr. 2. Astronom. cap.*  
*6. scribit: Quotidiana experientia innotuit aeris ac temporum*  
*mutationes, etiam si habeant alias occultas causas, oriri ex ven-*  
*tis, cum ex eorum afflatus diversitate optice conspiciamus sere-*  
*nitates, pluvias, nebulas, nives, nubila, aliq[ue] circa aerem con-*  
*tingentia. Quocirca rectissime observatum a veteribus &*  
*olim jam Herotodo, ad varias tempestatum & aeris mutatio-*  
*nes, ac differentias ventorum, peculiares in certis individuis*  
*etiam malignos morbos subertos fuisse. Sumpliit jam sibi*  
*hunc laborem Dn. Praeses & per aliquot annos singulis die-*  
*bis diligenter aeris vicisitudines praesertim ex ventis &*  
*descensu vel ascensi mercurii in barometro nec non gras-*  
*fantes morbos accurate observavit atque diario configna-*  
*vit, eo fine, ut tandem aliquando certi quid statui & prævi-*  
*deri posit, circa morborum epidemiorum originem. Cum*  
*itaque attenta & frequenti observatione didicerit aeris has*  
*magnas vicisitudines variosq[ue] exinde resultantes effectus*  
*in corpora humana principaliter dependere a ventis at-*  
*mosperam perspirantibus, non dubitavi secundum ejus du-*  
*ctum de ventorum potentia & efficacia in mercurium nec*  
*non in corpora humana meditationes & conceptus nostros*  
spe-

50

speciminis inauguralis loco doctis proponere. Supremum autem in cœlis numen supplices oramus ut gratia sua nostrum institutum beare, cunctaq; in veritatem, quæ humanae menti propria est, & ejus uicula felicitas dirigere.

§. I. *Lodinae trivium comp. redig.*

**P**lacet autem circa ullam ambagem statim ipsam rem aggredi, & in limine brevissime explicare, quid per ventum intelligamus. *Aristoteles* ventum siccum exhalationem nuncupavit. *Plutarchus* credit de *Anaximandris* sententia ventum esse aerem fluidum ex subtilissimis humidis partibus a sole liquefactis. *Cous noster* *Libr. de Flavibus*, ventum per ἄρεσ πένυα καὶ χεῦμα aeris fluxum & undam definit. *Cartesius* ventum aeris sensibilem motum dicit. *Seneca* *libr. V. quest. nat. cap. I.* eum definit aerem fluentem vel agitatum. *Verulanius* autem fluctum magnum aeris nuncupat, nec sine ratione: Aerem enim localiter moveri in vento & sèpius maximo cum impetu, vel ex eo satis liqueficit, quod vehementia ventorum & arbores dejiciuntur ac radicibus evellantur, ædificia infirmiora subvertantur, & oceanus horrendis fluctibus concurtiatur. Præterea aeris motum esse ventum ad sensum patet, cum ejus motu artificiale ventum sive mediantibus follibus sive flabellis manualibus excitare possimus. Simplex enim motus in aere efficit ventum, quia aer motu comprimitur, quem proinde de tergo mox alius sequitur. Nubes graves descensu suo aerem inter se & terram comprimentes & elidentes ventos parere vehementissimos, vulgari compertum est experientia.

§. II. *de prop. venti*

Quomodo autem talis sensibilis in aeris fluido excitetur motus exponentum jam erit. Antequam autem illud ipsum negotium aggrediamur & causas ac originem

ventorum decenter persequamur, præmittere quædam uile erit circa aeris naturam noscendam. Aer autem commodissime etiam jam sapientissimo Platone præeunte, resolutur in tria quasi elementa sive ingredientia, primum est æther quod fluidum catholicum est mobilissimum & agitatisimum, poros corporum penetrans, & omnis motus tam qui fit ex gravitate quam ex elasticitate causa ac fons; In hoc fluido hærent & natant quasi vastissima planetarum corpora & noster quoque terraqueus globus, in hoc gyrantur & circumvolvuntur. Alterum ingrediens sunt corpuscula minima flexibilioris, rigidioris tamen naturæ, ita sibi cohærentia ut comprimi queant, & post compressionem etiam in pristinum statum & situm resurgere, uno verbo elastica. Tertium ingrediens indolis quodammodo crassioris est, & est vaporosum, sive humidum principium in tenuissimas exhalationes resolutum, tametsi autem hoc non essentialis aeris pars sit, nihilominus cum atmosphæra nunquam sit sine effluviis globi nostri terraquei, hinc merito atmosphærām constituere concludimus. Non hic negandum, præter aquæ partes etiam variæ salinas, sulphureas & diversissimæ naturæ exhalationes in aere contineri, nullum enim datur corpus recte notante *illustri Boyleo*, quod non habeat suam atmosphærām, sive quod non circumscribatur certa sphera suorum vaporum & exhalationum distantia; nihilominus præcipua, quæ in sinu suo fovet & continent aer globum nostrum terraqueum ambiens effluvia sunt aquæ, utpote aqua majorem globi nostri partem complectitur, ut magis aqua terram, quam terra oceanum contineat corpus quoq; aquæ ex flexilibus, lubricis, leviter sibi cohærentibus partibus compositum est, ut accidente ætherei fluidi vehementi & calido motu in tenuissimas atomos & vapores dividatur ac dissipetur, ita ut aqua videatur

55.

atur naturam suam humidam deponere, cohæsione partium ista destructa & in siccum quoddam fluidum converti, sicut id manifestum redditur æolipilæ experimento, ubi aqua calore sufficiente admoto in ventum frigidum vivide ignem accendentem resolvitur. Hæc sunt præcipua aeris atmosphærici essentiam constitutientia principia. Reliquæ exhalationes alterius generis sunt magis particulares & in parvo districtu continentur, suntque magis accidentales, neque ad præsens negotium spectant vel ad explicanda aeris phænomena aliquid efficiunt. Quoniam autem pasim in veterum monumentis mentio reperitur ignearum in aere particularum, de his jam quædam dicenda esse existimo. De hâc autem re nostra sententia est, formaliter neutiquam calorem' nec ignem in aere contineri, ut non negemus penetrantissimum potentia ignem qualis non reperitur similis in tota rerum natura per medium aeris ferri in nostrum globum, siquidem solares radii rectâ lineâ per aërem pellucidum transeuntes ita ope prægrandis vitri convexi concentrari possunt, ut quæ alius ignis naturâ suâ intacta relinquit, ille in fluorem convertat, sicuti id vides in pulvere silicum cum cornucervi usto, vel calce viva mixto, qui solari igni neutiquam autem alio obtemperat. At vero nullus ignis vel calor perse est in aere vel æthere, sed quatenus à solis motu celerrimo circulari ipse æther concitatissem̄ movetur, inq; corporibus quodammodo condensatis & mixtis colligitur, variaque reflexione auctus calorem & destructoriam illam mixti dissolucionem efficit. Notari enim meretur, in altissimis montium jugis, ubi aer constanter etiam perpendiculariter incidentibus solis radiis flagellatur, serenissimo coelo existente nullum sentiri calorem sed potius frigus, ubi in terræ inferiore parte, ubi omnia sunt arctiora, densiora, & humili-

miditatibus repleta, quæ sic motum ætherem recipere, colligere, & reflectere possunt, urentem calorem sentiri, adeo ut ignis ille qui nullus est sub concavo lunæ sit, referendus ad atmospharam inferiorem, quatenus nempe in concentatissimum circumgyratur motum, à solaribus radiis recta via pertransiuntibus aer crassior. Ex quibus discimus, ignem non esse principium essentialie ipsius aeris sed potius accidentale quid & certum tantum effectum in certa disposita materia,

## §. III.

Præterea ex physicis hic repetendum est, duas præcipue esse quæ aeri competitunt affectiones nempe gravitatem & elaterem. Aerem esse corpus grave hoc est vi sua premere ac moveri deorsum seu versus terræ centrum, evidentissime confirmatur, dum vasa aere repleta in bilance accuratisma examinata plus ponderant quam si aer ex ipsis fuerit evacuatus. Deinceps folium latera deduci nequeunt, si accuratissime omnia foramina & fissurae fuerint clausæ: hæmisphæria ænea firmissime coharent si aer ex ipsis evacuetur, neque dimoveri possunt, nisi atmosphæra incumbens & pondus in ipsa exercens pondere itali quod proportionatum est cum superficie hæmisphæriorum & columnæ aeris illam ambiente tollatur. Ab eadem aeris gravitate dependet quod vitra plana aere substracto rumpantur, sphærica autem nequaquam, dum in planis aer pressuram suam in magno spatio exercet. Notabile autem est, in campana ex qua aer evacuatus folles posse deduci, hæmisphæria decidere vitrum non amplius orificio antliae adhærere, vitrum non rumpi, siphonem non attrahere aquam, quæ cuncta sunt quod aeris incumbentis gravitate privantur dicta corpora, neque hic attendendum illud experimentum quod ad infringendam hanc veritatem objectum fuit, dum nempe vitrum

58.

trum in ordinario æneo scypho contentum disrumpitur, ut  
ut laminæ exactissime superior superficies ejus clausa fuit,  
quo aer externus prohibetur, utpote tali casu a vi elasticæ  
pauci aeris, qui adhuc continetur inter vitrum & laminam,  
illud ipsum accidit, longe autem minori impetu, quam si ab  
aeris liberi gravitate id fiat. Deinceps clarissime & exacte  
ipsius aeris pondus determinat ac monstrant antlia su-  
ctoriæ, quæ tantum ad certum spatium aquam attollunt,  
nec non tubis Torricellianus, qui ad 29 ad summum polli-  
ces mercurium suspensum tenet, prout nempe æquilibrium  
atmosphæra est constitutum, quæ omnia tam evidenter  
sunt, ut nulla dubitatio poscit amplius habere locum, nisi  
quis inania figmenta & conceptus non intelligibiles admittere & omnem convictionem præfracte ejurare velit. Altera  
proprietas aeris univerfalis est elasticitas. Elastica di-  
cuntur corpora, quando vi compressa cessante compres-  
sionis actu in pristinum locum & statum se restituunt, cujus  
effectus causa est ipse æther mobilissimus & activissimus,  
qui cessante impedimento quietis impatiens corporis par-  
tes valde expandit atque rarefacit. Tale corpus elasticum  
est aer, qui nempe comprimi & in arctius spatiū expresso  
quasi æthere cogi potest, ubi cessante compressione æther  
vehementissima vi influens restituit illum in pristinum lo-  
cum, imo in miliecuplum spatiū demonstrante Boyleo ae-  
rem rarefacit & expandit, hæc ætheris actio & motus in elas-  
ticitate similes ferme effectus præstat quam aeris gravi-  
tas, ita ut elasticitas compenset pondus & gravitatem aeris.  
Sic mercurius in tubulum per paucis aeris inclusi elaterem  
remoto aere externo per antliam intrudi potest, ut ad pol-  
lices viginti octo & ultra in alto hæreat, manifesto indicio  
viri aeris elasticam similes ferme stupendo modo effectus  
edere, quam aeris pondus, ita quoque porro notum est pau-

B

co aere

co aere in vesica inclusa in vacuo non tantum vesicam extendi, sed & simul magnum pondus attolli posse; Ex eadem proprietate aeris elastica & gravi mirabilis effectus pulveris pyrii, auri fulminantis, & fundamentum fontis nonnullorum artificialis dependet.

*§. IV. si bi statim res ipsa erit*

Hicce jam præmissis facilius jam erit judicium formare de ventorum origine, illorum viribus & qualitatibus frigore, calore, siccitate atque humiditate. Antequam autem ulterius progrediamur, opus erit ut de numero & differentia ventorum aliquid adjiciamus. Notissimum autem, numerum ventorum a variis authoribus varium referri pariter & differentiam illorum statui ingentem, ut vel in anniversarios, vel in statos, periodicos, provinciales, ex longinquo vel vicino spirantes illos discerpant. Nos ita eos refemus: Quatuor ventos principales seu cardinales esse, quia quatuor principalibus horizonti punctis seu quatuor mundi angulis spirant, & quidem ab ortu Eurus, a meridie auster, ab occasu zephyrus, a polo arctico septentrio. His ventis quatuor antiqui erant contenti: subsequens ætas quatuor addidit. Nam quia sol non eodem semper loco oritur & occidit, sed alius est ortus & occasus aquinoctialis, a quibus subsolarus & favonius spirant; alius solstitialis; alius hibernus; quatuor adhuc ventos adjunxerunt, spirantes a quatuor punctis intersectionis, tropicorum & horizontis, seu a punctis ortus & occasus solis æstivi atque hiberni. Illum enim qui flat ab ortu æstivo, appellarunt Cæciam: qui ab hiberno Vulturnum: eum qui venit ab occasu æstivo Corum: qui ab occasu hiberno Africum. His addiderunt posteriores adhuc alios quatuor, qui spirant a polis zodiaci, punctisque oppositis, seu a lateribus polarum, circulisch; polaribus, seu punctis in horizonte ab iis notatis, ita ut quilibet

libet ventus cardinalis duos collaterales habeat , appellaturque eum,qai est inter septentrionem & ortum aestivum boream; qui est inter septentrionem & occasum aestivum Thraesciam ; eum vero qui sit inter austrum & occasum hibernum Libonotum ; qui inter austrum & ortum brumatem Phœnician. Atque hic vulgatissimus ventorum apud autores numerus est. vid. *Sennertus Tom.I. Lib.II. cap.3. Phys.*

## §. V.

Cum autem præcipui sint venti isti quatuor cardinales a plagiis sibi oppositis surgentes & reliqui interjecti maxime de natura illorum participant,hinc primum omnium horum naturam vires & qualitates nosse atque addiscere debemus. Occurrunt autem in omni vento duo maxime attingenda ex quibus deinde naturam & differentiam effectuum ducere atque formare commode licet, nempe  $\tau\delta$  materiale, &  $\tau\delta$  formale;  $\tau\delta$  formale est ipse motus, qui quo magis vehemens, celer, lanquidus, debilis, diu durans, fursum vel deorsum via recta vel obliqua est, diversam efficaciam ac potentiam concedit ventis:  $\tau\delta$  materiale autem constituant partes aereæ & exhalationes, quæ discrepantia habent pro diversitate regionum, locorum, per quæ venti feruntur. Notandum enim, nullum ventum per se vel frigidum, vel siccum, vel calidum vel humidum dicendum esse, sed qualitates has omnes derivandas merito esse non tam a plagiis mundi, illarumque constitutione, quam medio per quod transeunt, inde enim mutuantur suam materiam & suas impressiones. Non enim ubique locorum eadem est ventorum natura, sed ea a naturali constitutione circumjectorum montium, vallium, planitierum lacuum, paludum, que dependent. Ita certum est notante *Kirchero in mundi fabierr. p.233.* Ventum exspirantem ex montibus nive copertis sive ad septentrionem, sive ad austrum, orientem

vel occidentem situm suum obtineant semper esse frigidum, & contra humidum esse qui paludes, terrasque stagnibus aquis perfusas transeat, & semper calidum & siccum qui per arenosa deserta æstu solis adusta spirat.

## §. VI.

Illud itaque certissima deprehendimus experientia, in nostris regionibus ordinarie ventum occidentalem esse humidum & pluvias ac nivem hiberno tempore inferre, quoniam ex oceano Atlantico, abundantem vaporum aquorum copiam haurit, qui compulsi ad nostras regiones seu zonam temperatam in pluviosas ac nivosas nubes condensantur. Septentrionales autem frigidi & siccii ut plurimum sunt & hyeme intensum frigus sub principio autem veris & autumno notabilem asperitatem afferunt, quoniam ex borealibus terris a sole remotis oriuntur, & juga altissimorum montium glacie & nivibus tectorum pertransiunt, hinc glacieculas quasi pruinosas frigidas nostræ atmosphæræ inducunt quæ solutæ aerem in motum celerem redditilem omnia condensant concitant. Eurus ordinario siccus est cum per vastissima Asiae spatia ad nos affectur, tempore autem hyemali notabili frigore infensus dum super Moraviae, Hungariae, Bohemiae juga nivibus teata perspirat, unde etiam testante observatione tunc demum frigus suum exerunt, cum hyeme jam adulta dies sint longiores & soles altitudo in resolutione nivium maiorem activitatem obtinet, cum deinde nivibus exhaustis in medio veris & æstatis calidiores imo ferventissimi observantur, quoniam ex terris exsiccatis & sole æstivo adustis profluunt. Australes venti calidi sunt, quoniam Zonam torridam percurrunt, & ex percalidis & arenosis Africæ terris exsurgunt & dum in transitu super maris mediterranei

(13)

terranei diffusum spatium aliquid vaporum secum abripunt, moderate solent etiam esse humidi.

S.VII.

Venti hi unde habeant suam originem res certe pplexa est, & ingentibus difficultatibus stipata ut etiam sacra litera difficilimam ejus cognitionem designet. Diximus, formale ventorum esse motum, quicquid itaque motum aeris communicat illud & ventum suscitare aptum est; quamdiu nempe corpora sunt juxta se in æquilibrio posita nunquam fit motus sed exacta quies, ita etiam quamdiu aeris partes æque graves sunt, siue æquali mole premunt, & versus inferiora tendunt, nullus excitatur motus localis & progressivus sive ventus, sed in quiete & tranquillitate aeris fluidum seu mare est, simulac autem æquilibrium illud tollitur sive inæqualis pressio in aere accedit, ita ut in uno spatio graves aeris partes accumulentur, in altero minor sit resistentia, minor pressio & quasi vacuum, tunc statim motus incipit, dum natura semper affectat æquilibrium. Ex eo merito colligitur. quodcumque in aere producit inæqualem pressionem sive ipsum in uno spatio rarefacit, in altero condensat, illud ipsum motum sensibilem seu ventum excitat. Quandocumque enim aer rarefit, i.e. ejus partes ob ætheris majorem influxum atque actionem in magis spatium disjunguntur, minor in hoc spatio fit resistentia hinc necesse est, ut ad spatium istud exhaustum replendum, in altera parte aer gravis, propria sua vi irruat, ipsumque replet, quod sine motu & consequenter vento fieri nequit; hinc quo major est rarefactio, eo majori impetu aer se restituit in illum locum. Placet jam hanc hypothesin staticam quodammodo illustrare experimentis. Ex vitro si evacuatur aer crassior mediante antlia epistomio aperto aer externus magna vi irrumpt, imo vel aquam, vel

B 3

etiam

etiam mercurium, si vas in hæc ipsa immittatur, insigni  
cum impetu una intrudit. In phialam, in qua mediante ca-  
lore aer internus rarefactus & expulsus est, immissam mer-  
curio vel aquæ, ascendit aqua vel mercurius gravitate ae-  
ris incumbens ad notabilem altitudinem, & hæc quoque  
est ratio, quare aer gravitate sua in omnem locum expan-  
sum, dilatatum, sicuti accidit in follibus vel in thorace,  
quando ille non aliter ac folles expanditur, magno nisu de-  
scendat & locum illum impleat. Quocirca, quodcunque  
in aere rarefactionem inducere potest, illud ipsum & pro-  
tinus vento causam ministrat. Clarissimum est, ignem prom-  
ptissime semper facere ventum, & notandum, quod omne  
incendium comitetur vehementissimus ventus, utut om-  
nia fuerint antea tranquilla. Ignis enim cum sit motus ma-  
teriaæ æthereæ & coelestis rapidissimus, qui a centro ad cir-  
cumferentiam propellit ambientia corpora, hinc aerem  
vicinum e loco suo dimovet, & quasi vacuum efficit, ad oc-  
cupandum jam & tuendum illum locum totum corpus a-  
eris gravitate sua superincumbens istum locum exhaustum  
replet, & sic una pars aeris semper aliam e loco suo pro-  
pellit, & ita fit aeris circulatio, & in dissisit etiam locis o-  
boritur ventus. Elegans circa hanc rem est observatio Ve-  
rulamii p. 462. qui tradit temporibus cum Gasconia esset Angli-  
cane ditionis, exhibuit fuisse Regi libellum supplicem, per sub-  
ditos suos Burdegaliam, & confinium, petendo ut prohiberetur in-  
censio ericæ in agris Sussexia & Hamptonia, quia agigneret ven-  
tum circa finem Aprilis, vineis suis exitiabilem. Quinimo res  
ad vulgum nota est, quod in locis clausis, forniciatis, hypo-  
caustis, quando tempore frigido intus accenditur ignis, aer  
per foramen minimum in conclave cum magno impe-  
tu in illa intret, atque efficiat ventum. Nitrum curiosissi-  
mo spectaculo ventum exhibit vehementissimum, quan-  
do nem-

(15)

do nempe in crucibulo igne liquatur, & adjicitur ipsi corpus sulphureum, vel carbo, stannum, tunc materia ista ætherea, quæ concentrata in nitri sale in magna hæret abundantia, in motum acta atque dispersa ventum efficit jucundissimum, igneum, qui tantæ etiam est efficaciam, ut penetrantiam igni addendo mox crucibulum, vel vas aenea in quibus nitri accensio instituta, brevi candefaciatur. Pulveris pyrii stupendi effectus cuius primarium ingrediens est sal illud sulphureum, inflammatione elasticum, ventosum, non alia derivatidi ex causa sunt, quam quod ætheris sub incendio impetuosisima actione ac rarefactione, in aere ambiente maximum spatium vacuum & exhaustum fiat, in quo deinde maximo impetu & celeritate vastissima moles aeris ponderosissimi irrumpt, & durissima ac solidissima corpora de loco suo dejicit. Elici quoque ex dictis potest ratio, quare medici, tempore, quo contagiosi populariter grassari solent morbi, suadeant accendere ignem luculentum quo depuretur aer. Ut plurimum enim morbosa tali temporum constitutione aer quietus & otiosus ac vappidus est, & nullo vento agitatur, unde igne accenso ventus exsuscitatatur, qui corruptum aerem movendo & agitando illum dicitur depurare.

### §. VIII.

Quando jam hæc dicta applicamus ad nostrum macrocosmum, mox se fere ostendet ut spero evidenter generationis ventorum. Præsens enim est ibi vastissimum illud sydus sol, quod motu suo celerrimo perpetuo agitando ætherem, calorem, rarefactionem & motum calidum producit, unde merito sol princeps ventorum causa statui debet. Hic enim rarefactione sua inæqualem aerei fluidi pressionem facit, & suppositis supponendis motus istos aereos producit. Etenim sol præter id quod aerem rarefaciat, etiam

vapo-



vapores tenuissimos aquæ attollit, qui in spatiū magnum  
vi elætica soluti aerem vicinum e loco suo pellunt: præcipua  
enim ventorum cauſa est vaporum dilatatio: hinc procellæ in  
mari & crebriores sunt & magis pertinaces, nam maxima va-  
porum copia e mare per calorem solis erumpit. Et hæc est  
ratio, quare circa omnes aquas ferme sémper ventus existat.  
Res clara fit experimento æolipila, ubi aer mediante igne ra-  
refactus agens in aquam, illam in tenuissimos resolvit qui  
vapores per angustum canalem maximo impetu & effica-  
cia propulsi magnum faciunt ventum. Simile phænomenon  
etiam licet observare in machina sic dicta *Papiniana*, quod  
est vas æneum, quod ad tertiam partem aqua est repletum,  
& firmissimis clausuris ita teſtum, ut igne supposito ne tan-  
tillum aeris exire queat, quod si jam in coctione exitus aeris  
& vaporibus per parvum foramen concedatur, tunc tanto  
fragore, sonitu ac impetu erumpit ventus, ut horrore aspi-  
cientes percutiantur. Brevibus: sicuti elæticitas & gravitas  
sunt principalissimæ illæ affectiones corporum, ex quibus  
diversissimi effectus atque phænomena deduci ac deriva-  
ri merito debent & possunt: ita certe in nostro negotio &  
explicanda ventorum generatione aeris elæticitas & gravi-  
tas omne certe fert punctum atque momentum. Nempe  
rarefactio ac condensatio aeris in diversis locis est causa  
ventorum, materiam autem horum suppeditant variae ex-  
halationes, directionem vero illorum atque varietatem ef-  
ficiunt fortuitus concursus nubium, aliorum ventorum, oc-  
cursus montium aut quarumcunq; angustiarum certæ pro-  
vinciæ propriarum & pro situ illarum innumeris modis va-  
riantium,

## §. IX.

Plaect jam ex hisce dictis quadam applicare ad no-  
strum negotium & quosdam principales effectus ventorum  
exinde

-Opay-



exinde deducere. Primum autem notatum dignum est, ventum quendam generalem & statum inter tropicos constanter observari ab ortu semper in occasum tendentem, cuius causa haec videtur. Sol sub Zona torrida oceanum radiis suis perpendicularibus jam in hac, jam in illa parte perpetuo ferit, unde fit, ut ex solis incumbentis aëstu vehementi mare attenuatum ingentem vaporum copiam in aërem educat, qui vapores rarefacti in anteriori solis semita existentem aerem protrudunt, ex qua protrusione aer agitatus & versus eam partem, versus quam sol fertur diffusus, eum ventum ex ortu in occasum, quem nos generalem dicimus, efficit. Confirmat haec ipsa legregio experimento Kircherus vid. Mund. ejus subterr. pag. 214. Ubi nempe mediante globo ferreo ignito super aquæ superficiem detento, ita ut exiguo ab aqua spatio distet, ventum ex aquæ rarefactione & globi carentis motu producit, qui deprehenditur, si pluma e regione ferrei globi ponatur, quæ minime ad latera deflectet, sed semper constanti motu igniti globi progressum sequetur. Ex hisce jam ratio quoque deduci potest, cur orientales venti mane spirare videantur, occidentales vero vesperi, sed quoniam haec solide proponit & demonstrat Cartesius libri de Meteoris Cap. IV. hinc nolumus hisce diutius immorari. Sed ut jam speciatim ad proprietates & generationem principum ventorum contemplandam accedamus, constanti experientia deprehenditur, ventos septentrionales ut plurimum interdiu spirare, illosque ex alto ruere, maximeque violentos frigidos & siccros esse; eius ratio in procinctu est, si considereremus terram sub polis ubi non multum sole incalescit, multis nebulis, nubibus, ac nivibus tectam esse, & aerem valde esse ibi condensatum propter caloris defectum. Quando jam sol in locis meridionalibus directos & perpendicularares radios emitit, plurimos

C

vapo-

vaporēs excitat, qui actione luminis agitati celeriter sublimia petunt, usque dum pervenerint ad loca illa frigida, ubi aer condensatus incandescent & rarefactus ab istis vaporibus ventum producit, qui non tam ad ipsos polos, quoniam aer crassus sub polis calidius obnittitur sed qui potius regreditur & ventum facit ex septentrionali plaga interdiu per Europam spirantem: qui ventus ex alto præceps ruit, nam ex polis in terrarum fertur, valdeque impetuofus est, quoniam æstu maximo meridiano excitatur; Deniq; etiam vehemens, siccus & frigidus solet esse; frigidus autem est, quoniam magno cum impetu & celeritate ferrur ad nostram terram, quo motus autem solet esse celerior & per rectam lineam, eo producit majorem frigiditatem, sicuti videmus in æolipila ubi aqua calidissima magno impetu, lineaq; recta transiens per angustum foramen exhibet ventum frigidum: Ita etiam si quis cum impetu per parvum foramen oris fortiter emitit aerem, frigus sentiet, si autem ore aperto leniter emitit, calorem producit. Siccus autem hic ventus solet esse quoniam ex particulis aquæ dulcis crassioribus cum aere mixtis componitur, unde etiam glaciei potius, quam aquæ naturam obtinent, qua de re latius videri idem mereatur *Cartesius loco cit. p. 44.* Præterea venti septentrionales serenitatem amoënsimam de die & nocte, æstate & hyeme afferunt & nebulas nubes ac pluvias dispellunt; nam cum ex particulis rigidioribus elasticis rarefactis constant & celerissimo motu rectilineo ex alto ferantur per nostram atmosphærā, humidas ibi collectas partes disgregant, dissipant, dividunt, unde pluvia vel nix non potest progigni, quoniam ex collectione vaporum in se redeuntium illorumq; subsequente gravitate respectu aeris atmosphærici emergunt pluviae & nebulæ.

§.X.De-

(19)

§.X.

Denique observamus, ventos meridionales esse magis nocturnos, ex humili in sublimia niti, item lentoſ ſe & humidos, cuius rei rationem manifestam affert *Cartesius l. cit.* qui poteſt evolvi. Ex inferiori loco in altum enititur a terra nempe in aerem, & qui non poteſt ſe nisi lentissimus, tum quia crassities aeris nocturni curſum illius tardat, tum quia materia qua conſtat, terra tantum vel aqua egressa, non tam prompte, nec tanta copia dilatatur, quam materia reliquorum, quae plerumque a nubibus effundit. Postremo calidus quoque & humidus eſt, tum ob ſegniorem curſum; tum etiam humidus eſt, quia ex partibus aquae dulcis tam crassioribus quam ſubtilioribus componitur, quippe quae ſimil e terra furgunt. Et calidus eſt, quia materiam ſubtilem quae in meridionali plaga erat, ſeptentrionem verſus ſecum dicit. Notabile denique eſt mense Martio & toto verno tempore, ventos eſſe ſicciores & mutationes aeris frequentiores & magis ſubitas, quam ulla alia anni tempeſtate, propter inæqualitatem majorem inter calorem diurnum, & nocturnum frigus, ſubitamq; rarefactionem, nec non aeris condensationem.

§.XI.

Devolvimus jam ad phænomenon maximi momenti quod exhibetur in mercurio existente in tubo Torricelliano, cuius beneficio aeris ſuperincumbentis pondus exactissime obſervare ac explorare poſſumus. Jam conſans & attentus obſervatio eſt virorum celeberrimorum & in obſervandis naturae phænomenis admodum induſtriorum, mercurii ascensum & descensum in barometro variare pro diuersitate ventorum atmospharam nostram tranſeuntium. Clarifimi viri Ramazinus, Sturmius, Franciscus de Lana, Mariotte Camerarius per plures annos conſtantissime obſerva-

servarunt in barometro flantibus ventis orientalibus in statu medio esse mercurium & tempestatem constantem ad aliquot dies sub ventis autem e septentrione subito & ad notabile spatum efferri in altum, austrinis iterum cadere & sat celeriter descendere, non tam vehementer autem & subito flante zephyro. Memorabile autem, aeris mutationes vel subitanas vel sensim accedentes correspondere semper fere lapsi mercurii vel celeri vel tardo. Denique pro diversitate ventorum sibi concurrentium, mixtorum, atque sibi succendentium & maxime provincialium regnantium variat altitudo mercurii in barometro, sicut observationes barometricæ per aliquot annos factæ ab Excell. Præside id ostendunt. Manifestissime exinde deducitur, motum & pondus atmosphærae nostræ varie afficere atque alterare posse ventos, qui non ex astrorum conjunctione, sicuti satis solide & copiose id deduxit clarissimus Sturmius in *Dissert. de aeris mutationibus*, sed unice ex causis necessariis & mechanicis nempe rarefactione, condensatione, gravitate & levitate profiscuntur.

### §. XII.

At vero hujus phænomeni curiosissimi explicatio haec tenus fatigavit ac torsit clarissima doctorum ingenia, dum nempe ratione non potuerunt assequi, quare sub cœlo sereno quale ut plurimum est sub vento orientali & septentrionali, mercurius in altum ascendat, nec non post pluvias & nebulas dispersas, ex adverso descendat & humiliorem locum petat sub cœlo turbido, pluvioso, nivofo, quod & quale sit vento occidentalib[us] vel meridionali præsente. Primo enim certum est, mercurium suspensum hærere in tubo in notabili viginti aliquot pollicum altitudine propter æquilibrium aeris sive æquale aeris pondus mercurio incumbens, quod vel ex eo sit manifestum, quoniam si ex campagna cui

na cui inclusum est instrumentum hoc aer evacuetur ministerio antlia perfectione sua gaudente mercurium ad fundum usque descendere, nec iursum ascendere, nisi vel aer aperto epistomio intromittatur, vel per fissuras tenuissimas in antlia non satis bona successive intus se recipiat. Ulterius quoque evidentiam hujus rei adstruit diversa positio & locatio barometri, si enim in celsissima montium juga illud deferimus, mercurius notabiliter ad aliquot lineas descendit, propter breviorem aeris columnam, & minus prementem factam, in montium autem radice vel speluncis metallicis profundis, ubi semel Clausthalii fecit experimentum *Dnus. Preses* ordinarie longe altius observatur argentum vivum, non aliam ob causam, quam quod altior columna aeris adeoque magis gravans ipsi mercurro incubat. Cum autem res decisa & certa sit, aquam aere esse pluries graviorem, hinc merito colligunt aerem multis vaporibus aqueis invicem collectis onustum, sicuti fit, quando pluvia instat, tunc esse graviorem seu plus pondere, leviores autem, quando destitutus est his vaporibus & coelum serenum, nihilominus mercurius sub tali ponderosiori aere humilior observatur, sub sereno autem altior. Singularis hic in mercurio observatus effectus explanationi suspensi mercurii in barometro multas objicit difficultates ac dubitationes, ex quibus etiam nondum satis emergere salva priori sententia potuerunt sagacissimi viri, ut etiam nunc controversia & disceptatio inter quosdam foveatur. Nuper in medium protulit doctissimus Ramazini salia nitrosa in aere contineri, quae in ipso notabilis pondus efficiant, ejusque gravitatem eximie augeant, unde postea deducit altiorem mercurii ascensum in tubo Torricelliano, quandocunque autem salia illa pondus aeri addentia a vaporibus & humiditatibus austriinis vel

occidentalibus ventis in atmosphærā allatis solvuntur & præcipitantur, concludit exinde aerem fieri leviorem & argentum vivum in tubo inferiora pertere. Verum enim vero nondum res plana atque decisa est formale nitrum vel sal quoddam rigidum in aere vehi, inque ejus sinu foveri, & posito talismodi sal in aere boreali existere, neutriquam tamen rationi conveniens videtur, vel ullo modo intelligi potest, quomodo ab aquæ vaporibus solvatur multo minus ex aere præcipitur; quod si enim salinæ atomi in aere dispersæ circumquaque vehuntur, necesse utique est, ut jam sint solutæ, nam solutio nihil aliud est, quam divisio solidi in minutissimas partes per fluidum. Multo minus concipi potest, præcipitationem salis in aere leviorem illum reddere, utpote imminentे pluvia, ubi nondum ad terram cum aqua dejecta fuerint salia, nubiloſo tantum cælo existente, nihilominus argentum vivum in tubo descendit, cum potius exinde colligi posset, non tantum aquæ vaporem, sed & salia in aere coacervata necessario efficerat atmosphærā graviorem, & mercurium in altum cogere, quod tamen cum experientia minus convenit. Tandem & plane absonum videtur, tantam salium copiam hærere posse in aere, ut mercurium ad tres vel quatuor interdum pollices in altum sustollant, stupenda enim esset illa salium quantitas, si respectum ac rationem habere velimus totius circa globum terraueum circumfusi aeris.

## §. XIII.

Alii naturæ mystæ phænomenorum barometricorum causas querere in ipsorum ventorum motu laborant, dum nempe existimant boreales & orientales de sublimi deorsum ruere, & sursum urgere mercurium, quoniam autem australes & occidentales sursum & oblique spirant, arbitrantur aeris superioris vim debilitari, sustineri, & impedi

diri in gravitate sua & pondere. At vero nec hæc ratio mihi videtur sufficiens esse. Primum enim gravitas corporum si bilance est examinanda, non decrescit vel impeditur, licet corpus non immediate bilancem tangat, sed teneatur ab alio. Ita certum est, quando homo in bilance consistit, & manu sustinet pondus triginta librarum, quod tunc gravior sit, quam si ex manu idem pondus dimittat. Eodem modo utut aer superior sustineatur a vaporibus aqueis & ventis austrinis, nihilominus idem imo majus pondus ac gravitatem exerceat debet. Placet itaque in tam ardua & difficulti re quid nobis vero simile sit, adducere. Afferimus nempe vim motricem quæ in aere est, & in æquilibrio argentum vivum servat, duplice modo debere considerari, vel respectu molis & quantitatis materiae, quæ in aere continetur, vel respectu motus aeris, qui tardus & celer est. Jam autem perspicuum ex mechanicis & staticis esse opinor, celeritatem imo elasticitatem semper compenfare impetum molis seu pondus, i. e. rem minorem celerime motam eandem vim & efficaciam motricem habere, quam corpus majoris molis in tardiori motu constitutum. Deinceps notum est corpora omnia ex altiori loco dimissa, eo plus accipere impetus & celeritatis motus, quo propiora fiunt terræ. His ita suppositis affirmamus spirantibus ventis austrinis vel occidentalibus multis humiditatibus onustis utique plus materiae & respectu hujus ponderis contineri in aere, sed impeditiorem ejus esse expansionem, seu minori nisu ac celeritate premere corpora, cum ex adverso sub aquilone & orientali vento liberrima ætheris & aeris superioris fiat expansio, & major inferioris pressio, utpote hi venti præsertim aquilonares ex locis, ubi aer condensatus & quasi conglaciatus est oriuntur, & particulas tales aeras crassiores juxta Cartesium loc. cit. ad nostram

stram atmosphäram afferunt, quæ in aere tepidiori præser-  
tim si austus vel africus præcesserit recte id annotante Ma-  
riote expansæ atque explosæ dilatantur, majusque spatum  
affectant, & aerem nostrum inferiorem vi quadam propell-  
lunt, comprimunt, adeo ut hi venti notabile frigus, dum  
corporis partes a circumferentia ad centrum movent, & mo-  
tum intestinum sistunt efficiunt in corpore nostro. Quo-  
circa pressus sic inferior aer a superiori rarefacto & expan-  
so, majorem potentiam motus & consequenter majus pon-  
dus, cum hoc non nisi in potentia motus consistat, in cor-  
pora omnia & maxime etiam in mercurium exercet, quam  
aer si copiosissimis stipatus fuerit effluviis. Omnia hæc eva-  
dunt clarissima, si contemplamur elasticitatem pauci aeris  
idem præstare quam magnum ejus pondus. Ita curiosum  
est in fonte artificiali, quem construi curavit *Excell. Pra-  
ses* aerem solo candelæ calore, in vase calefactum atque  
expansum aquam jucundo spectaculo in altum protrude-  
re. Res autem longe clarior adhuc evadit, & allata ratio  
ascensionis mercurii evidentissime confirmatur persequens  
experimentum: nempe fiat barometrum ex tubulo & glo-  
bo rotundo magnø vitreo, cui mercurius cum tubulo inclu-  
datur, quod vitrum ita debet esse comparatum ut circa tubu-  
lum exactissime possit claudi, postea applicetur calor vitro  
externe, qui aerem in vitro sphærico contentum rarefaciet  
& cum non possit exire, premet mercurium in barometro  
ad notabiliter majorem altitudinem.

## §. XIV.

Quod australium ventorum naturam & operationem  
attinet, inconfesso est apud omnes physicarum rerum gna-  
ros & calorem atque vapores afferre ventos hos in nostram  
atmosphäram, præsertim si occidentales qui magis humili-  
di fuerint conjuncti, unde & cœlum efficiunt pluviosum,  
nubi-

nubilum, nives tempore hyemali fundunt, & mercurium in barometro notabiliter depresso & humilem reddunt, maxime si Euro vel Aquiloni succedunt. Mirabile hic est, cum aer noster humiditatibus repletatur, sicque ponderosior fiat, quod non effectus ille gravitatis in barometro observetur, & mercurius magis ascendat, & hoc est, quod haec tenuis vehementer exercuit philosophorum ingenia. At vero tametsi non ignoremus plus materiae vento ab occidente & meridie flante in nostrum aerem deferrri, nihilominus fatemur ipso effectu aerem esse leviorem sive minus premere corpora subjacentia, potest enim corpus esse in se grave, nec tamen suam gravitatem exerceat. Et sicuti nos non percipimus aeris & aquae pondus, si in illis ambulamus, unde etiam non improbabile est, atmosphaeram, licet respectu materiae & gravitatis accrescat, minus tamen gravitatem suam sive potentiam movendi & premendi deorsum exerceat posse. Hoc autem accidit ad nostram mentem sequenti modo: in septentrionali vento, qui ex alto ruit, & glacieculas frigidas in quibus aer condensatus est, apportat, si in nostra atmosphaera haec resolvantur, superior aer in mirum expanditur, rarefit, qui rarefactus inferiorem urget, premit, comprimit, coarctat, ut non tantum in minimos poros penetret ad centrum corporum, sed & compressione sua majorem gravitatem exerat in corpora: talem compressionem iam manifestissime videmus in barometro statico Boyle, quod exibilance constat, cuius uni extremitati bulla vitrea aere repleta est annexa alteri pondus, ubi vento aquilonari flante & sereno aere existente bulla vitrea superiora petit, sub humida autem & calida aeris constitutio ne, inferiora, manifesto indicio: plus pressionis, imo plus resistentiae esse in aere siccо boreali, quam in aere calido humido australi. Et enim flante vento austrino calido infer-

rior aer utique rarefit & expanditur, ex ista expansione superiorem super incumbentem aerem in quem libero transit, comprimit, ipsique renititur, ut descensum suum celerem & motum gravitatis impeditius in corpora & mercurium exercere queat, unde accidit revera aerem inferiorem fieri leviorum, unde hanc aeris inferioris levitatem subsequi solent pluviae, nives, nebulae, quoniam fluidum aeris, in quo vapores dispersi specie leviores antea hærebant, levius factum non amplius in alto sustinere potest hos vapores, sed hi in se coeuntes per aerem cadunt in terram, non aliter ac corpus specie gravius per fluidum specie levius descendit. Confirmari hoc potest eleganti experimento, dum pluviae pro lubitu per certum instrumentum effici possunt, si aer inferior, crassioris subtractione levior evadat, unde etiam quotiescumque aer subito tepidior factus est, sequitur pluvia.

## §. XV.

Circa austrinam & pluviosam aeris tempestatem curiosum quoque & inquisitione dignum illud phænomenon est, quod animalia tam terrestria, quam aerea & aquatilia varias insolitas & extraordinarias motiones, actiones, agitationes, vociferationes, clangores efficiant, quæ dicta optime prænunciant tempestatem futuram, qua de re fusius legi meretur *Verulamius in Histor. ventor. p. 478.* Inconsuetæ hæ atque insolentes actiones non possunt non ex quadam angustia & interna anxietate ac nervorum stimulatione oriri, quæ optimo jure deducitur ex aeris levitate, quandoquidem si aer inferior levior & magis rarefactis est, major quoque turgescens, orgasmus, expansio particularum aerearum sanguini animantium inclusarum deprehenditur, sicuti accidit ab omni inclusio aere, qui incipit expandi, quando externus renitens aer minus premit, sive ejus compressio quodam-

dammodo cessat, unde in hisce animantibus sicuti etiam in nostris corporibus, talismodi calido, humido, pluvioso tempore habitus corporis turgescit, inflatur, venæ expanduntur, sanguine partes infaciuntur & ejus circulatio sive progressus ad lineam impeditior est, unde a sanguine subsistente & fibras nerveas irritante harum actionum origo dependet.

## §. XVI.

Hisce jam præmissis, de generatione, natura & proprietatibus ventorum, facillimum jam erit, illa ipsa applicare ad corpus humanum, considerando, quosnam effectus diversitas ventorum in ipsis producat. Ut autem illud ipsum summe perspicuum & clarum evadat, primum exponere dubet, qualis aeris usus sit in conservanda vita, & sanitate animalium. In confessio autem apud omnes ut opinor est, catholicum istud fluidum aereo-athereum omnium animalium esse movens & ipsorum vitæ ac sanitatis fontem, moderatorem ac fundamentum. Etenim in circulari sanguinis & humorum, coque libero ac æquabili, actuum omnium tam vitalium quam animalium exercitum consistere, nemo rerum gnarus ibit inficias, jam autem vitalis hic circulus principaliter dependet ab aeris fluido ejusque gravitate ac elatere. Utrumque ad vitam summe est necessarium. Elater se exerit interne in ipso sanguine atque humoribus, dum expansiva sua vi intestinum fluiditatis motum, nec non particularum sanguinis attenuationem, divisionem & spirituascentiam conservat. Hic ipse est, qui cordi, arteriis, ac fibris musculosis, robur, motum, ac vigorem conciliat. Grayitas autem aeris se exerit maxime externe, dum pressione ubique æquabili, corporis exteriora ambit, nimiamque dissolutionem spirituum & vaporum exhala-tionem reprimit, & fibras ad resistantiam aeris elastici interioris ubique animat & armat, ipsius robur ac tonum

D 2 fœne-

foenerat. Uno verbo aeris illa interni expansio & rarefatio, & externi atmosphærici pondus, debita proportione & harmonia servata, in causa sunt, ut circulatio sanguinis & humorum secundum legem & ordinem a Deo naturæ injunctum in animantibus perficiatur. Nam dum ille internus expansus a centro movet ad circumferentiam, hic autem a circumferentia ad centrum, sub tali mutua actione & reactione, æquilibrium motus, influxus & refluxus sanguinis, a quibus vita pendet, conservatur. Ex hisce jam patet, quas noxas & detrimenta experiri queant animantia, si haec mutua aeris interni & externi actio non rite sese habeat; nec in debita proportione & modo consistat.

## §. XVII.

Primum autem optimus & antiquissimus medicinæ parentes Hippocrates verissime annotavit, duos hos ventos nempe austrum & boream maximas efficere mutationes in corpore, hinc illos in primis consideratione medica dignos censet, utpote hi venti sibi sunt contrarii, unus enim calidus, alter autem est frigidus, unus ex altissimis spatiis a Sole remotis & magna celeritate ad nos adfertur atque descendit, alter ex calidisimis locis neque tanta vehementia ad nos accedit, & magis ab imo sursum tendit, unus intestinum circularem alter fecundinum motu causatur, unde etiam constanti observatione deprehendimus, in barometro hos duos ventos notabilissimas subitasque facere mutationes, unus mercurium deprimendo, alter elevando. Similes enim effectus in barometro non habet orientis & occidens; sed sub oriente in media quasi elevatione est argentum vivum constitutum, & constantior etiam est iste ventus atque constanter efficit serenitatem. Et aeris mutationes vel subitanæ vel sensim accidentes, semper fere correspondent lapsu mercurii vel celeri vel tardo. Ex hisce dictis claret

non

non mirum esse si ab hisce dictis ventis duobus insignissimae alterationes accedant ad corpora. In confessu enim est, aeris salubritatem & insalubritatem ab his duobus principaliiter dependere, adeo ut mutatis ventis subitus succedat in morbis effectus sive in melius, sive indeferius, imo ex horum ventorum dominio epidemicae morbos constitutio-nes corporum ceteris paribus commodissime deducuntur. Cum autem laudatissimus ille senex horum ventorum noxas, vires & utilitates omnium optime annotaverit, placet etiam ejus vestigiis insistere, & aurea ejus monita perlustrare. Principius autem locus est Aphorism, V. Sect. 3, dum inquit: *Austri auditum hebetant, illique graves sunt, caliginosæ, Et tenebrosi nec non & capitis gravitatem, segnitrem seu lentitudinem & corporis laxitatem afferunt.* Quotiescumq; itaq; au-ster diu multamq; dominatum tenuerit, bususmodi fere (sym-  
patib; per morbos afficiuntur homines. De Austri natu-  
ra ac proprietatibus ita quoq; scribit Verulamus in Hist. vent.  
p. 451. Flante austro ambelitus hominum magis facit, appetitus  
animalium deficit magis, morbi pestilentes graffantur, grave-  
dines incumbunt, homines magis pigri sunt & hebetes. Et Celsus Lib. II. cap. I. inquit: *Auster corpus efficit hebes, humidum & languidum.* Mirum certe est, quomodo austri præ ceteris  
ventis passim apud medicos scriptores imo apud poetas ma-le audiat, qui tot probrosis epithetis illum sugillant. Horatius Lib. II. Satyr. VI. Ventum hunc plumbum appellat,  
quando dicit:

*Nec mala mei ambitio perdit, nec plumbus austri.*  
Et in eo fernie omnes convenienti medici quod gravitatem  
corpori afferat. Notavit hoc jam suo tempore Galenus qui  
scribit de Ther: ad Pis. cap. II. Quendam ex suis sodalibus in  
lecto cubanem solitum divinare quis ventus spiret, nam quo-  
ties gravari sibi caput sentiebat, statim dignoscet flamen  
austum esse. Et observamus quotidiana experientia, sub tem-

pestate austrina, humida, pluviosa & nebulosa notabilem  
 aetionum torporem, tristitiam, motus impotentiam, som-  
 nolentiam, capitis dolorem gravatium, ad agenda animum  
 minus aptum, respirationem difficilem, sudorem cum an-  
 gustia. Laborant hisce incotmodis maxime plethorici,  
 sanguinei, & qui impurum ac copiosum sanguinem habent,  
 foeminæ gravidæ, corpora infantilia. Ratio effectuum hæc  
 est: aere humido & calido nervi redduntur imbecilles &  
 flacci, fibræ motrices relaxantur, & robur partium labefac-  
 tatur. Denique atmosphæra leviori & humidiori exi-  
 stente sangvis & humores in vasis plus justo expanduntur,  
 turgescunt, vasa inflantur & vis motrix elastica in corde &  
 musculis immunitur & hac ratione necessario circulatio vi-  
 vida & libera, quæ a motu fibrarum tonico, & spirituascentia  
 debita sanguinis pendet, impeditor fit, unde etiam par-  
 tium halituosarum transpiratio & inutilium superfluarum  
 secretio & excretio impeditur, ut sic humores non tantum  
 in corpore accumulati, membra gravent ac premant, sed  
 & ad putredinem disponantur. Nam certissimæ experien-  
 tiæ est, sub diuturna austrina aeris constitutione præserim  
 tranquilla, putridos morbos maxime regnare, nempe febres  
 petechiales, synochas putridas, variolas, morbillos, quod &  
 superiori anno & præsente hic loci experti fuimus, utpote  
 sub tali aere, viva illa elasticitas aeris & aetheris quæ expan-  
 sivum motum in viscose sanguinis textura excitat, nimia  
 talismodi humiditate debilitatur, unde spirituascentia san-  
 guinis debita, ejusque motus circulatorius minuitur, & in-  
 de ad impuritates & corruptiones transitus sit apertissimus.  
 Qui plura de austri noxis & inde resultantibus effectibus  
 desiderat, conferat Hippocr. Aphorism. 16. & 17. Sect. 3. Cæterum  
 illud tenendum, sub coelo pluvioso & nebuloso bene dege-  
 re phthisicos, peripnevmonicos, hecticos, & qui ex pectori  
 & difficiли respiratione laborant, qui omnes in sereno & bo-  
 reali

Bellaria



56

(31) reali aere pejus sese habent, quod a paucis annotatum, certissimæ tamen est experientia. Et videtur ratio hæc esse, quod cœlo sereno promptior & citior sit circulatio, per consequens major sanguinis ad pulmōnes appulsus per quos virtuosum non tam libere transire queat, angustiam & anxietatem auget.

§. XVIII. Quod vero concernit aquilonem, hic ventorum saluberrimus a Plinio appellatur, & Aristoteles illas urbes saluberrimas pronunciat, quæ versus solem orientem sitæ sunt, & ventis orientalibus & borealibus expositæ. Hippocr. Sect. 3. Apb. 17. scribit: quod hi venti solida, firma, colorata & ad motum expedita reddant corpora, alacritatem sensibus & menti inducant. Conf. etiam hac de re Aphor. 16. Sect. 3. Et Verulamius Libr. citat. scribit. Flante borea magis alacres, sani & avidiores ciborum evadimus. Etenim hic ventus vivido suo céleri, rectilineo motu poros corporum constringit, angustat, & fibras motrices roborat, denique & calorem intus continet, & vividam elasticitatem sanguini ac humoribus addit, uno verbo: longe promptior, expeditior fit sub his ventis sanguinis circulatio. Nihilominus hic ventus omnibus inflammationibus, affectibus dolorificis, nervinis inimicus est, partim quod transpirationem & evaporationem materiae peregrinæ insensibilem impedit, partim etiam quod fibras, quæ in spastino, dolore, atque phthisi tensæ sunt & distentæ, magis tendat, unde dolores non possunt non augeri, qui eo acerbiores sunt, quo magis tensæ fibræ:

§. XIX. Ultimo loco est illud monendum, nihil magis sanitati nocere, quam crebram & subitam ventorum & consequenter aeris mutationem, unde accidit, tempore vernali & autumnali morbos nasci largissimos, & nihil magis infensum, quam si post austrum flantem mox boreas subse.

subsequatur, ita enim catarrhi, rheumatisimi, coryza, tuffes, arthritides promptissime succedunt; quod si enim aer interibr mox nimis expanditur & sanguis fluidus sit mox subito ab aere extrinsecō compunitur & coagulatur, necesse est, ut in motu humorum tam intestino quam progressivo, magna alteraciones inordinationes anomaliae orientur & excretionis quoque negotium turbetur & pervertatur. At verò cum charta nimis angusta sit & in super

Excellentissimus Præses de simili fere materia aliquid ulterius meditetur, hinc vela contrahimus.

S. D. b G.

## Nobilissimo Domino OCKELIO

S. P. d. P. R. A. S. E. S.

**S**anguinis in homine temperiem ac circumut varie modiscare ac dispensare animi vim ac robur, rem existimo indubiam. Illud salutem tenendum, quod quo majori sanguinis copia & motu mens sustentatur, eo magis ejus vires esse dispersas, & ab immateriali infinito principio alienas. Voluntas enim hominis upplurimum sese exerit prava, inque virtus ruens, si pro fundamento habet sanguinem nimis subtilem nimiumq; mobilem. Ex adverso, in tranquillo humorum statu ac motu quietior fit animus, ad vitia & malitia minus facilis, & hinc gratior Deo; utpote mens nostra, quo magis cum materia unitur, eo plus materialibus delectatur & spiritualia spernit. Ita quivis homo possidet aliquid a Deo, quod laudare ac estimare in ipso debeamus, quodq; nobis humilitatis & contemptus nostri ansam prebeat. Tuo, Nobilissime Ockel, delectatus sum animo, ex quo ipsum novi optimo, purissimo, innocentissimo, Deo grato. Tu assidua diligentia tui ingenii captum ita perfecisti atq; excoluisti, ut id consecutus es doctrinae ac laudis, quod alii etiam feliciori ingenio imbutis plane negatur. In examinibus ita nobis probasti solidum tuum in theoria & ipsa praxi profectum, ut Tibi & Tuis gratulandi causam habeamus. Deus T. O. M. gratiae suæ cumulo uberrimo tuos conatus ulterius juvet ac sublevet, ut salus publica fructum exinde percipiat saluberrimum. Vale.






**ULB Halle**  
004 767 136

3




VOTZ





# Farbkarte #13



B.I.G.

B. V.  
ALIS PHYSICO-MEDICA

## A VENTO- IS HUMANUM

agitur  
genti vivi in barometro,  
im  
IFICENTISSIMO,  
SCYPE AC DOMINO  
N.

*WILHELMO,*

RGICO ET ELECTORATUS  
C RELIQUA,

FRIDERICIANA

Medice consensu,

S I D E

*HOFFMANNO,*

inq; ac Philosoph. Natur.

Electoral Aulico,

RE SUO ÆTATEM COLENDO,

ORIS GRADU

a Honoribus ac Privile-

petrandis,

horis ante & pomeridianis  
disquisitioni exponit

*ECKEL*, Hallens. Saxo.

Andreas Zeitleri, Acad. Typogr.

1700, 146

74